

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Minerva, sive de causis latinae linguae commentarius

Sánchez, Francisco

Schoppe, Caspar

Perizonius, Jacobus

Franequera, 1687

De nominibus urbium, provinciarum & insularum

[urn:nbn:de:bsz:31-109138](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109138)

De nominibus urbium, provinciarum, & insularum.

IN nominibus non solum urbium, sed & ^{Ad, in,} insularum, & provinciarum, atque etiam ^{ab, de,} aliorum locorum, sepe deest Præpositio: ut; *Tendit Romam, Ægyptum, Italian, Cyprum, Elyfios, Rus, & domum: Venio Roma, Ægypto, Cypro, rure, domo, agro.* Longum esset, quod jam feci aliquando, si testimonia velim congerere, ubi adhibeatur præpositio: hoc verè a se affirmare, sæpius inventri nomina urbium cum præpositione, quam sine illa; nam Titus Livius * fere sine præpositione non loquitur. Neque audiendus est Quintilianus, qui solœcisimum credit esse; *Veni de Susi in Alexandriam.* Sed absurdius delirant, qui contendunt aliud esse, *eo Romam*; aliud, *eo ad Romam*; sic *venio Roma, & venio à Roma*: dicunt enim, sine præpositione locum ipsum significari; cum præpositione vero, juxta, vel propè. Delirat igitur Livius lib. 5. decad.

I i 3

* Fere sine præpositione] Notabilis in hæc rem est locus Suetonii in Aug. cap. 86. ut ex Cod. Salm. à Viro Summo I. G. Grævio, emendatur: *Neubi Lectorem vel Auditorum obscuraret ac moraretur, neque Præpositiones Urbibus addere, neque conjunctiones sæpius iterare dicitur, q. a. de tracta adferunt aliquid obscuritatis, nisi gratia exigent.* Ceterum ex præpositionibus alia frequentius exprimitur ante nomina Urbium, alia rarius; quas fortè vel maxime est IN. Sed tamen & hæc sæpe occurrit apud Platum. Veluti *Curcul II. 3. 62. Equem in Epidaurum traxeratam nostrum. IV. 4. 6. Salus quam advenit in Epidaurum. Mil. II. 4. 41. Venisse Athenis in Epistum cum suo ematore.* Sic alibi sæpius. Ita quoque Livius XLII. 26. *Evmentum in Asia, Antiochum in Syria. Ptolemæum in Alexandria se convenisse. Suet. Aug. 96. In Phisippis Thessalus quidam et de futura victoria nunciavit.*

cad. 1. qui sæpè nunc *Vejos*, nunc *ad Vejos*, eodem sensu dicit. Græci dicunt; *Noctuas in Athenas*; Latini, *Noctuas Athenas*. Nec mihi etiam in hac parte placet ipse Cicero, quum lib. 7. epist. 3. Attico sese excusat, quod scripserit; *In Piræa quum venissem*: nam ipsemet nobis autor est, ut addamus, si libuerit, præpositionem. Cicero 1. Acad. *venisse ab Roma*: idem de Senect. *Miles profectus sum ad Capuam*, quintoque anno post ad Tarentum questor. idem Phil. 8. *ut ab Alexandria discederet*. Innumera alia sunt in epistolis ad Attic. Propertius lib. 3. *Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas*. Martial. *Tibur in Herculeum migravit nigra Lycoris*: idem lib. 13. *Hec de vitifera venisse picata Viema*. Et multa sunt proverbia; ut, *Naviges in Massiliam*; & *de Massilia venisti*.

Accipe rursus contra istos, ellipsin præpositionum in nominibus provinciarum, & insularum, aliorumque locorum. Virgil. *Italiam fato profugus, Lavinaque venit littora*: idem; *At nos hinc alii stitentes ibimus Afros, Pars Scythiam, & rapidam Crete veniemus Oaxem, Et penitus toto divisos orbe Britannos*: idem; *Eoliam venit, loca fata furentibus Austris*: Æneid. 6. *Devenere locos letos, & amœna vireta Fortunatorum nemorum, sedesque beatas*: ibidem; *Hac iter Elysium nobis*: ibid. *Hac limina tendere adegit*: ibidem; *Finesque canebat Venturum Ausonios, Etiam portaretur, dixit Catullus*. Sed statim objiciunt imperiti, poetarum testimoniis non standum, qui causa carminis cuncta conturbant. O ingenia putida, & infelicia. Sed age, accedant Oratores, & alii. Cicero pro lege Manil. *Inde Sardiniam cum classe venit*: idem pro Muræ. *Qua ex pugna quum se ille eripuisset, & Bosporum*

confugisset : idem 3. Verr. Samon , Tenedon ,
 & Delon , nunc cum præpositione , nunc si-
 ne illa scribit : & alibi Sardiniam , Siciliam ,
 Cyprum , Coreyram , idem Attic. Si Pom-
 pejus Italia cedit. Sallustius , citante Frontone ;
 Tum verò Bithyni propinquant jam amnem Tartan-
 nium. Papinianus lege 75. ff. de cond. & de
 monst. Quum Asiam venisset. Suetonius Au-
 gust. Decedens Macedonia : ibid. 17. Ab Alio quam
 Samum insulam in hyberna se recepisset : idem Vesp.
 Ut eo tempore Judea profecti rerum potirentur. Va-
 lerius Maxim. lib. 1. cap. 6. Pænorum exercitum
 Italia pelleret : idem libro 5. cap. ultimo ; Epi-
 rum portanda dedit. Justinus lib. 20. Egyptum pri-
 mo profectus , Cretam contenderat. Mela libro 3.
 cap. 9. Egyptum tendere : ibidem ; Egyptum ex-
 portat. Tacitus libro 2. Germanicus Egyptum pro-
 fescitur ; & libro 4. Cretam amoveretur. Livius
 libro 5. decad. 5. Exercitum Egyptum induxisset :
 ibidem ; Cyprum extemplo classem misit. Plautus
 Curcul. Quia parastus non rediit Caria Teren-
 tius Phormio. Qua profectus causa hinc es Le-
 mnium Chremes ? antea dixerat ; iter illi in Le-
 mnium ut esset. Apulejus lib. 9. Metam. Lavem
 reveni meum : ibid. proximam civitatem deducere
 consueverat : ibid. Baculo se vix sustinens , civita-
 tem adventat. „ [Plaut. Pœnul. act. 3. sc. 6.
 „ Utinam hinc abivis malam crucem. Catullus ;
 „ Cur non exsilium , malaque in oras Isthis ? Attius
 „ Phœnis. Fuisse profecti exsilium quo vis gentium.
 „ Varro 1. Rust. 55. Olea dominum , & balneas ,
 „ & gymnasium sequitur , pro ad , vel in balnea.
 „ Plaut. Merc. Mittere aliquem ad mercatum , &
 „ Ire mercatum : & Redii exsilio : & Pœn. Malam
 „ crucem ibo potius : & Stichus ; Jam per hortum
 „ amicam transibo meam , pro , ad amicam. Fan-

„nius, citante Charisio; *Villam venit*, pro
„*In villam*.]

Nunc videamus *Rus*, & *domum* cum præpositionibus, in singulari, & plurali. Livius libro 9. decad. 4. *Fam ubi vos dilapsi domos, & in rura vestra eritis.* Cic. Tusc. *Quum in sua rura venerint.* Asconius in *Miloniana*; *Qui forte ex rure in urbem revehebatur*; *In domo Caesaris*; *in domo Lentuli*; *in domo Leccæ trita sunt* apud Ciceronem. Cicero 6. Verr. *Ad prætoris domum.* Verr. 3. *Ad eam domum, in qua ipse dirversabatur, profecti sunt*; Verr. 7. *In Chelidonis domum præturam tuam contulisti*; idem *Parad.* 3. *In quamcumque domum stuprum intulerint*; idem 2. leg. *In ipsius patris domum detulimus*; idem 5. Tuscul. *Socrates philosophiam, & in urbibus collocavit, & in domos etiã introduxit.* Terent. *Eunuch.* *Si in domum meretriciam deducar.* „[*Livius* 8. *Classe qua advecti ab domo fuerant, multum potuere*; & *lib.* 9. *Accitis ab domo novis militibus, Fabius cum novo exercitu ab Roma advenit.* „*Plaut. Aulul.* *Disruciior animi, quia ab domo abeundum est mihi*; & *Epid.* *Num ab domo absum?*] *Apulejus lib.* 4. *Quippe quidam procurvens e domo procerus, & validus*; *ibid.* *Nam visa sem mihi de domo, de thalamo, de cubiculo, de thoro denique ipso violenter detracta*; idem 1. 5. *Psyche procurrit e domo*; & 1. 7. *Petitis e domo ferramentis*; & *lib.* 8. *Ac ille novitium susceptum famulum trahent ad domum.* Cic. 1. Tuscul. *Quasi in domum suam venerit* Ascon in *Milon.* *Attulit ad domum Scipionis.* Licet ergo dicere, *in mea domo*; *in tuis domibus*; *ab domo egressus*; *de domo*; *ex domo*; *in domum*; *ad domum*: quorum testimoniis, quia innumera sunt, ne fastidio sum, supersedeo.

„ [Non

„ [Non autem in Nominibus modo, sed
 „ etiam in verbis Infinitis, nominis substan-
 „ tivi vim habentibus, Præpositio subauditur:
 „ cum enim dicit Terentius, *Eamus visere*, sub-
 „ auditur *ad*, quod Lucretius sic expressit,
 „ *Ad sedare sitim fluvii, fontesque vocabant.*]

De Ablativo, quem falsò absolutum
 vocant.

QUOTIES imperium, sive præfecturam
 in pace, in bello, in literis significa-
 mus, *Sub*, vel potius Græca *ὑπὸ*, de-
 sideratur. Perſius Satyr. 5. *Marco sub iudice pal-
 les?* Martial. lib. 1. *Quos decet esse hominum tali
 sub principe mores?* idem lib. undec. 2. *Sub te præ-
 siede Nec non licet:* ibid. 8. *Penelope licet esse tibi
 sub principe Nerva:* & lib. 12. 5. *Sed tu sub prin-
 cipe duro:* ibid. 63. *Sub quo pigra quies.* Propertius
 lib. 2. *Cæsare sub magno cura secunda fores.* O-
 vid. 14. *Metam. Rege sub hoc Pomona fuit.* Livius;
Sub Asdrubale imperatore meruit. Æneid. 8. *Sub
 te tolerare magistro militiam discat.* Horat. *Sub
 patribus duris.* Valer. Maxim. lib. 4. cap. 2.
Factum, ne sub Calio quidem autore repudiandum:
 idem lib. 6. cap. 5. *Nam cum L. Atracino, sub
 quo duce aciem nostram, &c.* Ovid. 13. *Metam.
 Mænia qui forti Trojana sub Hercule cepit:* „ [idem
 „ 4. Pont. 12. *Sæpe ego correxi sub te Censore li-
 „ bellor.]* Statius in Syl. *Cerealia dona coronæ, Te
 sub teste tuli.* Claudian. 4. *Conf. Honorii;
 Tum conspicuus, gratiusque seretur Sub te teste labor.*
 Plinius lib. 18. *de murib. Sub autore Aristotele.*
 Cornel. Celsus in præcæm. *Sub autore
 Themisone contenduntur:* „ [& lib. 6. cap. 18.
 „ *Si vetustiora sunt, sub auctore Dionysio, impergen-*
 „ *da*